



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd in veritate & humilitate, coram Deo conuersandum est. 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

6 Quomodo possum me tolerare, in hac misera vita: nisi me confortauerit misericordia, & gratia tua? Noli auertere faciem tuam à me: noli visitationem tuam prolongare: noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat anima mea, sicut terra sine aqua tibi.

Pf. 68.

Pf. 142. Domine, doce me facere voluntatem tuam; doce me coram te dignè & humiliter conuersari: quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognouisti antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo.

CAP. IIII.

Quod in veritate & humilitate, coram Deo conuersandum est.

*Domini-
mus.* **F**ili, † ambula coram me in veritate; & in simplicitate cordis tui, quere me semper. Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incurribus malis, & veritas liberabit eum à seducto-ribus & detractionibus iniquorum. Si veritas te liberauerit, verè liber eris, & non curabis de vanis hominū verbis.

*Gen. 17.
Sap. 1.*

Ioan. 8.

Seruus. * Domine verum est. Sicut dicis, ita quaeso, mecum fiat. Veritas tua me doceat; ipsa me custodiat, & vsque ad salu-

salutarem finem conseruet. Ipsa me liberet ab omni affectione mala, & inordinata dilectione: & ambulabo tecum, in magna cordis libertate.

2 † Ego te docebo (ait Veritas) quæ ^{Dominus.} recta sunt, & placita coram me. Cogita peccata tua, cum displicentia magna & mærore: & numquam reputes te aliquid esse, propter opera bona. Reuerà peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis, & citò laberis: citò vincaris, citò turbaris, cito dissolueris. Non ^{I. Cor. 4.} habes quicquam, vnde possis gloriari, sed multa, vnde te debeas vilificare: quia multo infirmior es, quàm vales comprehendere.

3 Nihil ergo magnum tibi videatur ex omnibus, quæ agis, Nil grande, nil pretiosum & admirabile, nil reputatione appareat dignum: nil altum, nihil verè laudabile & desiderabile, nisi quod æternum est. Placeat tibi super omnia æterna Veritas, displiceat tibi semper tua maxima vilitas. Nil sic timeas, sic vituperes & fugias, sicut vitia & peccata tua: quæ magis displicere debent, quàm qualibet rerum ^{F 5} ^{damna.}

Eccli. 3.
Eccl. 2.
Cer. 3. damna. Quidam non syncerè coram me ambulant, sed quadam curiositate & arrogantia ducti, volunt secreta mea scire, & àlta Dei intelligere, se & suam salutem negligentes. Hi sæpè in magnas tentationes & peccata, propter suam superbiam & curiositatem, me eis aduersante, labuntur.

4 Time iudicia Dei, expauesce iram omnipotentis. Noli autem discutere opera Altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti. Quidam solùm portant suam deuotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris. Quidam habent me in ore, sed modicum est in corde. Sunt alij, qui intellectu illuminati & affectu purgati, ad æterna semper anhelant: terrenis grauiter audiunt, necessitatibus naturæ dolentes inferuiunt: & hi sentiunt, quid spiritus veritatis loquitur in eis. Quia docet eos terrena despiciere, & amare caelestia: mundum negligere, & cælum tota die ac nocte desiderare.

CAP.